



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

II. An obiectum appetibile debeat necessariò esse bonum aliquod.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

qualibet vendicat complementum ei debitum, seu quicquid ex vi vtriusque consequitur. Vnde deside etiam certum est dari in homine hos duos appetitus, quorum repugnantia describitur ad Rom. 7. *Videam aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, &c. ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hac enim inuicem aduersantur*. Matth. 17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: alius enim est appetitus, qui abnegat, & alius qui abnegatur. Et c. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Eccl. 2. *Nec prohibui cor meum, quoniam omni voluptate fruebar*: prohibere enim voluntatis est, voluptas vero appetitus sensitui. Et capit. 8. *Post concupiscentias tuas ne eas*. Experientia quoque docet talium appetituum distinctionem, nam sensitio sensibilia prosequimur, rationali supernaturalia, & diuina. Notandum tamen, de fide non esse hosce appetitus realiter inter se, & ab anima distingui, hoc enim ad opiniones philosophicas pertinet, sed tantum haberi certum esse nobis potentias ad efficiendos actus vtriusque appetitus siue distincte sint entitates, siue indistincte: esse tamen entitates distinctas multo verior est, ac fidei conformior sententia.

Item experientia.

Obiect. cont. 1. assert.

Contra secundam.

Ad 1.

Ad 2.

Sed arguet quis primo contra primam conclusionem. Si in omni natura cognoscente datur appetitus elicitiuus, dabitur etiam in Deo, cum ille sit etiam cognoscens. Consequens falsum est, quoniam appetere indigentis est, & carentis bono, quod appetit, vnde appetitio imperfectioem superponit. Circa secundam conclusionem etiam arguitur, quoniam superfluum ponitur in homine duplex appetitus, cum vnus sit satis ad omnia illa, pro quibus diximus, necessarium esse appetitum. Ad primum respondetur appetitum, vt sic, videri quidem significare desiderium de bono non posset, huiusmodique appetitum non esse in Deo, maxime quantum ad proprium sibi bonum, quantum autem ad bona nostra, solere illi tribui desiderium, sed metaphoricè snagis, quam propriè. Nunc vero appetitum non sumimus eo modo, sed vt significat virtutem amandi vitaliter bonum aliquod: talis porro virtus in Deo est, non à sua essentia distincta, sed ipsa essentia, quatenus seipsam amat, & in proprijs gaudet bonis, ex quo etiam creaturas amat. Ad secundum negatur esse superfluum duplicem aliuere appetitum in nobis cum debitum sit nature nostræ, quæ superiora, & inferiora in se quodammodo complectitur, sicut etiam superfluum non est habere duplicem cognitionem, intellectuam scilicet, & sensitiuam, quia sensitua intellectuæ deseruit: ac similiter appetitus sensituius rationali, vt vehementius afficiatur quod si illi contrariatur, id quoque vtilis est, in exercitium videlicet, & meritum, est quoque vtilis, vt prospiciat bonis corporis tanquam illi maxime connaturalibus, voluntas vero quando oportet hunc refrænat, & dirigit.

CAPVT II.

Ut obiectum appetibile debeat necessario esse bonum aliquod.

Negantis pars arg. cum probatione quæ simpliciter.

Pro negatiua parte arguitur primo. Obiectum potentia est circa quod potentia elicit actus, sed appetitus non tantum elicit actus circa bonum, sed etiam circa malum: ergo non bonum, sed aliquid abstrahens à malo, & bono est obiectum appetitus. Minor patet primo in actu odij, qui versatur circa malum, vt malum est. Secundo in actu desiderij, quo alteri malum, vt malum est, similiter expetitur. Tercio damnati quadam voluntate solum ratione, quia contra diuinam voluntatem militant, quæ est summa peruersitas, ac ratio mali.

Quarto voluntas ad experiendam saltem libertatem suam expetere malum potest sub ratione mali. Quinto damnati maxime vellent non esse, atqui non esse merum malum est: ergo, &c. Secundo principaliter arguitur. Appetitus respicere valet bonum sibi propositum, vt patet experientia, maxime in libero appetitu: potest ergo appetere malum oppositum sibi. Tercio: potest quispiam etiam efficaciter appetere non esse, vt patet de homine se occidente, at vero in non esse nulla potest inueniri ratio boni, cum bonum ipsum esse praesupponat. Quarto appetitus potest ferri circa impossibilia, sed impossibile nulla est ratio boni: ergo, &c.

In hac quaestione opinio Nominalium fuit, appetitum posse ferri in malum sub ratione mali appetendo illud, quamuis specialiter loquantur de voluntate. It. Ocham in 3. d. 13. dub. 3. Gabr. in 2. d. 6. q. 1. a. 3. dub. 20. Scot. vero in 1. d. 1. q. 4. credit non satis probari à theologis voluntatem non nisi bonum velle posse, & in 2. d. 5. q. 2. sentit Angelos potuisse appetere aequalitatem diuinam, quamuis iudicarent eam sibi esse impossibilem, & d. 43. q. 3. opinatur peccare ex malitia, nihil esse aliud, quam velle malum, quia malum.

Sit tamen conclusio prima. Obiectum adaequatum appetitus est bonum, vel aliqua boni ratio. 1. Conclusio. Hec habetur ex Aristotele in princ. Ethic. Vnde in 1. li. c. 1. illud celebre pronuntiat, quod omnis prauus sit ignorans, eo quod malum admittat sub ratione boni, & 1. c. 8. amabile quidem esse bonum, vnicuique autem proprium: & Senec. 1. 4. de beneficijs, c. 1. scribit, neminem vsquam adeo à legem naturalis discedere, vt animi causa malus sit. De etiam Dionys. de diuin. nomin. c. 4. & 6. Nemo inquit, malum aspiciens operatur, subscribit D. Th. 1. 2. q. 8. artic. 1. & videtur communis animi conceptio, ac primū principium in morali philosophia, nam bonum, & appetibile idem sunt, tantundemque res habet de appetibilitate, ac de bonitate. Hinc prima principia practica extant, omne malum esse fugiendum, & omne bonum esse prosequendum. Ratione arguitur, nam impossibile est appetitum naturalem ad malum dari sub ratione mali, quia semper datur ad perfectionem suppositi, atqui appetitus elicitiuus datus est animantibus ad appetendum modo perfectiori: ergo impossibile est, quod feratur in malum sub ratione mali, quod tantum ad perfectionem suppositi: alioquin res cognoscens essent hac in parte deteriori conditionis, quam inanimata, quæ suapte natura in bonum feruntur. Secundo arguitur in reductione. Namque de appetitu sensituius notum est semper tendere imperfectioem suppositi: ac de eo quidem id omnes admittunt, quia cum naturaliter operetur, semper fertur ex inclinatione naturali, quæ cum data sit ab authore Deo qui summe bonus est, non ad malum esse potest, sed ad bonum sub ratione boni. De voluntate autem idem probatur, ea enim agis, ex natia propensione, atque vniuersali ad bonum: quando vero fertur ad malum, ideo fertur, quia ratione boni applicat ad particulare, in quo apparet ratio boni, cum verè ibi non existat: procedit ergo etiam tunc sub ratione boni: vnde illud,

Quisquis amat Thaidem, Thaidem putat esse Dianam. Tercio arguitur experientia: experimur enim à nobis semper aliquam rationem boni queri in opere quouis, imo & in perditis hominibus deprehendimus eos mala patrare propter bonum aliquod. Quarto quod quis appetit, illud querit, & illo inuento quiescit, ac delectatur: nemo autem querit malum, vt sic, vel acquisito malo coquiescit, aut delectatur: nõ ergo illud valet appetere sub ratione mali. Confirmatur: quia malum ex se fugat appetitum, nec in se habet, cur appetatur: omniaque naturaliter vitant sibi malum. Denique nemo potest appetere.

appetere non esse beatum: hoc vero non potest, nisi quia malum est, beatum non esse, quare, &c.

Notatio 1.
pro explicanda
conclusi.

Notandum circa conclusionem, quod non simpliciter dixerimus adequatum obiectum appetitui esse bonum, siquidem potentia appetitiua versari potest circa malum, odio habendo illud, ut primum argumentum probat: potentia tamen appetitiua aliter versatur circa bonum, quam circa malum: circa bonum quidem appetendo, & inclinando in illud, circa malum autem rejiciendo: quia vero actus posterior fundatur in priori (nam ideo odio habetur malum, quia contrariatur bono, unde actus odij quasi per accidens consequitur) ideo obiectum simpliciter adequatum potentia appetitiua, ut prosequitur, est appetitum bonum. Notandum est secundo non esse sensum conclusionis potentiam appetitiuam habere pro obiecto boni sub absoluta ratione boni, hoc enim proprium est voluntatis, ut infra dicitur. Tercio ergo est omnem potentiam appetitiuam habere pro obiecto formalitatem boni communis, vel particularis: ad hoc tendunt rationes factae si perpendantur.

Notatio 2.

Ad 1. in n. 1.
eius, pro
batione
quinque.

Ad argumentum primum initio capituli respondendum negando maiorem, prima vero minoris probatio expedita est. Ad secundam dico impossibile esse velle malum alteri, nisi in obiecto, vel in actu reperiatur aliqua ratio boni? sic Deus vult malum poenae in iustis, quia in tali actu reperiatur bonum iustitiae, & de similibus. Ad tertiam, esse contra voluntatem Dei ratio quidem formalis est mali inhonesti, id tamen malum appetit damnatus vestitum velamine vindictae, quam fumere conatur de Deo: quia vero in hoc explet appetitum, quem de malo diuino elicit, ideo ibi inuenit aliquam boni rationem. Ad quartam responderetur id falsum esse, & impossibile, cum voluntas ferri nequeat extra suum obiectum, imo in illo actu cernitur quaedam implicatio, cum experientia libertatis quiddam sit bonum: quia ergo ratione in argumento sumitur velle appeti tunc posse malum sub ratione mali? Quinta probatio petit difficultatem non leuem, an scilicet possit quispiam appetere non esse simpliciter, & quoniam questio huius loci non est, dico breuiter partem affirmantem videri probabiliorē sic damnati potius vellent non esse, quam tales esse: tunc tamen ipsum non esse sub ratione boni haud dubie appetitur, scilicet tanquam conduens ad partem saltem beatitudinis habendam, carentiam videlicet miseriae quando alteram, quae est boni possessio, nequeunt adipisci: carere autem miseria non datur dum existunt, ideoque non esse volunt, ut malum illud fugiant. Urgetur aliquis. Qui vult non esse, vult etiam non esse beatus, nam qui tollit fundamentum, tollit aedificium. Respondetur negando datum velle simpliciter non esse, sed supposito statu miseriae, ac item supposito, quod aliter nequeat illum euadere, unde nequaquam appetit non esse beatus, sed permittit tantummodo, cum aliter non possit vitam effugere miseriam, ac velit, nolit, nunquam beatus euadere.

Ad 2. principalem arg. in eodem n. 1.
Ad 3.
Ad 4.
Videndum
auth. l. 7. de
ang. c. 1. a. 2.
n. 4.

Iam ad secundum principale argumentum respondetur voluntatem non posse respicere positum bonum aliquod, nisi in quantum in illo excogitatur aliqua mali ratio. Ad tertium similis datur responsio, non enim appetitur destructio ipsius existentie, nisi in dicta mali alicuius carentia. Ad quartum dico impossibilia putata possibilia posse appeti, quia apprehenduntur sub ratione boni, impossibilia vero cognita, ut impossibilia appeti non posse, nisi forte voluntate conditionali, si fierent possibilia, tunc autem sicut conditionaliter appetuntur, ita etiam illis apponitur aliqua boni conditio.

Quæres tamen utrum bonum appetibile debeat necessario esse bonum ipsius appetentis, ait

Franc. Suarez de Anima.

namque Aristoteles supra citatus amabile esse bonum, unicuique tamen proprium. Pro quo fit secunda conclusio. Impossibile est appeti, quod non respiciat bonum proprium ipsius appetentis, vel illud includat aliquo modo. Colligitur conclusio ex relato Aristotele, videturque satis experientia nota. Et ratione explicatur in hunc modum. Quod appetimus vel est bonum proprium, vel alterius, si proprium habetur institutum. Alterius autem bonum non appetimus, nisi vel quia in actu appetendi rationem aliquam boni proprii inuenimus, vel certe quia, cui tale bonum appetimus, aliquo modo ad nos pertinet, siue vnus nobiscum est aliquo modo. Nam aut creatura est, aut creator: si creator, eatenus illi bonum volumus, quatenus ipse Deus est vniuersale bonum rerum omnium, atque adeo nostrum. Et hæc de causa charitas magis Deum amat, quam amantem, quia in Deo includitur bonum ipsius amantis tanquam in fonte, atque origine: si vero est creatura, volumus illi bonum, vel quia amicus est, vel quia propinquus, vel quia homo, in quo bonitatem nostrae naturae consideramus, quod si non sit creatura rationalis, bonum ei optamus, vel quia ad nos attinet, vel quia aliquo modo in natura est nobis similis: unde D. Thom. 1. 2. q. 27. a. 3. resoluit similitudinem causam esse amoris, ut etiam Plato dixerat, & indicatur satis Eccl. 13. quia nimirum similitudo efficit, ut bonum alterius mihi similis apprehendatur tanquam meum, & in ead. quest. a. 1. q. 26. docet in tantum esse aliquid bonum, & appetibile, in quantum est proportionatum bonum amantis. Horum causa inde sumitur. Quia licet ratio boni non respiciat hunc vel illum, tamen ratio appetibilis ab hoc vel illo includit, quod bonum eius sit, nam appetitus est inclinatio quædam ad propriam perfectionem tendens, neque hoc destruit communem diuisionem amoris in amicitiam, seu beneuolentiam, & concupiscentiam, vbi alibi tractatur.

Quæstio
sola expedita
tur per duas
conclus.

Eius ratio.

CAPVT III.

Utrum actus appetendi fiat à sola potentia appetitiua, & quandoam per illum producat.

Postquam dictum est de obiecto potentia appetitiua, dicendum sequitur de illius actu, de cuius substantia, & quidditate eodem modo sentiendum est, ac de actu potentia cognoscitiua: argumenta enim quib. 1. 3. c. 3. confirmauimus actum esse qualitates à potentia distinctas, idem conueniunt in presenti, quare hoc supposito, dicendum est de principio, & termino istius actus. De principio ergo elicitiuo variae fuerunt sententiae, quidam censuerunt huiusmodi actum fieri ab obiecto appetibili apprehenso: recipi vero in potentia appetitiua, quam mere passiuam esse credunt. Alij voluerunt fieri à quadam potentia appetitiua mere actiua, recipi vero in appetitiua, quam mere passiuam esse ponebant: hæc tamen impossibilia sunt, ut satis in simili est ostensum in cit. lib. 3. de potentijs cognoscentibus in communi, est enim actus amandi vitalis, & immanens, qui necessario fieri debet ab ipsa potentia, in qua recipitur.

1. præsentia
capituli pun-
ctum de, co-
que dua opi-
niones ab-
iurda.

His ergo omisissis, ac posito potentia appetitiua effectiue efficere suum actum, difficultas est, an sola illa actiue ad ipsum concurrat? Multi opinantur obiectum habere efficientiam simul cum potentia. Gregor. in 2. dist. 35. q. 1. & 2. Gabr. q. 1. dub. 3. Palud. in 4. d. 43. Henr. quodl. 3. qui tamē in modo opinandi varij sunt. Eorum enim quidam vniuersaliter asserunt: alij vero limitant, ad actus quidē necessarios concurrere obiectum effectiue, non tamen ad liberos. Alij obiectum apprehensum concurrere effectiue sub ratione apprehensi: alij apprehen-

2. opinio alia,
varique
modi illius.

R 2

prehen-